



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, 1680**

[13]3. An excommunicati possint ingredi Ecclesiam? Et an possint ibi  
orare, etiam si alij fideles in Ecclesia privatim orent, dummodo separatim  
illi orent? Et an excommunicatus in eademmet Ecclesia ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)



communicationis. Ita Layman *lib. 2. tract. 5. part. 2. cap. 2. num. 3.* & ante illum Coninch *de Sacrament. disp. 14. dub. 7. num. 56.* ubi sic ait: Nota excommunicatum non peccare non audiendo Missam, etiamsi negligens sit in petenda absolutione, & hac ratione, quia magis forte contra charitatem sui, & obedientiam Ecclesiae debitam peccet (quae per censuras intendit eum ad subjectionem, & reconciliationem compellere.) Ratio est, quia quamdiu est excommunicatus, Missam audire non potest, nec illud praeceptum tanti momenti est, ut ipsum obliget, ut tam remore se disponat, ut fiat capax audiendi Sacram, sicut incarceratus propter debitam, etiam peccet contra iustitiam non solvendo creditoribus, cum facile posset, non tamen peccat non audiendo Sacram, nec tenetur ideo citiusolvere ut possit audire Sacram. Secus de omissione confessionis & communionis annuae. Nam si excommunicatus omittat procurare absolutionem, cum eam facile obtinere posset, peccat illam omittendo, quia hoc praeceptum est magni momenti, nec admittit tam faciles excusationes, tum maxime, quia praeceptum confessionis directe obligat peccatorem, ut procuret sibi solutionem omnis vinculi, quod eum dividit ab unione Dei & Ecclesiae, & consequenter ut procuret absolutionem ab excommunicatione, si ea ligatus sit. Idemque etiam convenit praecepto communionis, quae cum instituta sit, ut perfectius Christo ejusque corpori uniamur, obligat nos, ut tollamus ea omnia, quae hanc unionem impediunt. Vide etiam circa praesentem quaestionem Avilam *part. 2. c. 6. disp. 4. dub. 7.* & Suarez *in 3. part. t. 3. disp. 88. sect. 6.* Hurtad. *disp. 5. de excomm. diff. 2. num. 5.*

### RESOL. CXXXI.

An excommunicatus cum alio legens privatim Horas Canonicas, vel Officium B. Virginis, &c. peccet? Idem est de recitante cum excommunicato. Ex part. 5. tit. 9. Resol. 89.

**S. I.** In tali casu Navarrus *cap. 27. num. 36. §. ad 5.* putat excommunicatum non peccare legendo in fine, horas Canonicas, aut alias preces privatim cum aliquo alio, quia non orat ut minister Ecclesiae, & alias potest esse haec communicatio utilis ad conversionem excommunicati. Sed hoc repugnat communi sententiae. Vnde melius Gordonius *tom. 2. lib. 7. quest. 8. c. 2. m. 23.* Suarez *disp. 12. sect. 1. num. 18.* & Henriquez *lib. 13. c. 7. n. 2.* dicunt eum peccare venialiter tamen, quia talis recitatio in ratione communicationis est materia levis. Et ita etiam docet Cornejo *in 3. part. 5. de excomm. disp. 10. §. 4. sect. 8. dub. 1.* Mercerus *de Sacram. in 3. part. 2. dub. 6.* Praepositus *in 3. part. 2. de excomm. dub. 9. n. 56.* Coninch *de Sacram. disp. 14. dub. 7. m. 55.* Turrianus *de cens. lib. 2. disp. 11. dub. 2.* Covarr. *in calva mater. §. 53. num. 8.* & Megalio *in 3. part. vol. 2. capit. 2. q. 4. n. 52. & §. 53.* & id quod dictum est de excommunicato, dicendum est de recitante cum illo.

### RESOL. CXXXII.

An excommunicatus possit uti aqua benedicta? Ex part. 5. tit. 9. Resol. 90.

**S. I.** Aliqui, ut Bonacina *de censur. disp. 2. quest. 2. punct. 3. §. 2. num. 8.* docent usum aquae benedictae esse excommunicatis prohibitum, ex eo quod illa est benedicta per orationem Ecclesiae, ut ex imperatione Ecclesiae proficit fidelibus, & ita cum Ecclesia privat excommunicatum omni oratione, videtur

plane privare usu aquae, & ita fatetur Patet Suarez *sect. 3.* si usus aquae, illius fiat ex intentione faciendi orationem Ecclesiae, secus si alia intentione fiat. Aliis vero non videtur prohibitus usus aquae benedictae, quia non hoc videtur expressum, aliqua lege Ecclesiae & quod dicit de privatione suffragiorum, intelligi, ut tempore excommunicationis non fiant suffragia communia Ecclesiae pro excommunicato, sed de applicatione, & usu aquae benedictae. Vide Turrianum *lib. 2. disp. 11. dub. 3.* qui putat secundam opinionem esse piam, sed primam esse magis probabilem. Vide etiam Gordonum *t. 2. lib. 7. quest. 8. c. 3. num. 36.* Hurtad. *disp. 5. de excomm. diff. 3. n. 3.*

### RESOL. CXXXIII.

An excommunicatus possit ingredi Ecclesiam? Et an possit ibi orare, etiamsi alij fideles in Ecclesia privatim orant, dummodo separatim ille oret? Et an excommunicatus in eademmet Ecclesia cum aliis in communi possit audire concionem? Et quid est dicendum, si excommunicatus Ecclesiam ingreditur, quo tempore celebrantur ibidem divina officia; non quidem ut intersit illis, sed ut transeat per Ecclesiam ob commoditatem itineris, etiamsi transeundo genuflectat, & privata oratione oret? Ex part. 5. tract. 9. Resol. 86.

**S. I.** Negativè respondet glossa *in cap. 1. dist. 21. in fin.* Abbas *in cap. 2. num. 2. de foro competent. & Hostiensis in summ. n. 17. ver. sed nunguid. de sent. excomm.* Verum haec opinio non est tenenda, ideo excommunicatus potest ingredi Ecclesiam, & in ea esse, ut docet Abbas sibi contrarius *cap. 1. num. 9. de vita & honest. Clericor. Navarr. cap. 27. num. 17.* Covarruvias *in cap. alma, part. 1. §. 3. n. 7.* & alij. Et non solum potest excommunicatus esse in Ecclesia, sed etiam potest ibi orare, ut patet ex glossa *in cap. qui studet. 1. q. 1. Navarr. num. 19.* quod est verum etiamsi alij fideles in Ecclesia privatim orant, dummodo separatim ille oret, v. g. ipse in uno sacello, alij in alio, quia sic non censetur communicare. Navarr. *dicto num. 19.* & Cajetanus *in summa cap. de participatione cum excommunicato, §. illicita autem.* Imò de oratione privata hoc verum est, etiamsi excommunicatus oret in eodem sacello, in quo alij similiter, id est, privatim orant. Nam nec sic est inter eos communicatio, cum non sit communis oratio. Ita Cajet. *loco cit.* asserens posse hos omnes orare simul privatim in eodem cubiculo (& similiter seorsim comedere) ut contingit de oratione; cum pulsatur ad salutationem Angelicam, seorsim enim orant & pulsatur tunc ad orationem privatam. Denique potest etiam excommunicatus in eademmet Ecclesia cum aliis in communi audire concionem. Et ita ex multis docet Raynaudus *de monit. part. 2. cap. 2. n. 21.* Quod autem Tertullianus *lib. de pudicitia, c. 4. & 14.* asserit, excommunicatos à limine & omni teſto Ecclesiae submoveri, accipiendum est de absentia à templo tempore Sacri, aut divinorum Officiorum, modo tamen quo infra.

2. Et ideo quaero quid si excommunicatus Ecclesiam ingreditur quo tempore celebrantur ibidem divina officia, non quidem ut intersit illis, sed v. g. solum ut transeat per Ecclesiam ob commoditatem itineris? Respondeo posse fieri. Nam sic non dicitur communicare in divinis. Paludanus *in 4. dist. 18. quest. 4. & qu. 6.* Cajetanus *loco citato*, qui addit hoc verum esse, etiamsi transeundo genuflectat & privata oratione oret; & denique universè loquendo idem dicendum est, quoties excommunicatus tempore divinorum ingreditur Ecclesiam, non causa orandi, aut ut inter

Sup. hoc pro parte infr. in Rel. 147. §. 1. in princ. & prope finem dicti §.



interfit divinis, sed ob aliud quodvis negotium, ut tradit Paludanus jam citatus *quest. 6. art. 1.* Innocentius *cap. nuper, de fidei excommunic.* Angeli. *verb. excomm. 3. §. 4.* Et hæc omnia docet etiam Gordonus in *sum. tom. 2. lib. 7. quest. 8. cap. 1. §. 4. num. 27. & segg.* Vide etiam Coninch *de Sacram. disp. 14. dub. 7. n. 53. & 58.* & Megala in *3. part. lib. 2. cap. 2. q. 3.* Turrian. *lib. 2. disp. 11. dub. 3.*

## RESOL. CXXXIV.

*An qui dubitat se esse excommunicatum possit audire Missam?*

*Et an similiter liceat aliis, simili dubio existente, cum eo communicare?* Ex part. 4. tract. 3. Ref. 66.

Quoad hoc lege sup. doctrinam Ref. 125. & 126. &c.

bup hoc du. Sio in Ref. 1. not. præterita, & in aliis ejus an. not. secundum.

§. 1. **A**ffirmativè respondeo, & ita præter alios docet Petrus Cornejo in *1. 2. D. Thomæ tract. 8. q. 19. disp. 4. dub. 2.* ubi probat, licitum esse dubitanti an sit excommunicatus, audire Sacrum, & alia excommunicatis prohibita facere, ac si excommunicatus non esset, & similiter licere, aliis simili dubio existente cum eo communicare, & hoc ait Cornejo, ut viter periculum imminens, aut præjudicium notabile spirituale, vel temporale in propria persona rebus, aut honore; sicut non tepetur secundum illum ad recitandum Officium divinum, qui habens tenue beneficium dubitat in jure, an teneatur recitare, quia cum hoc sit grave onus non potest incurri, nisi propter causam certam.

## RESOL. CXXXV.

*An excommunicatus incurrat aliquam penam, si Missæ, aut divinis Officiis assistat?*

*Et an aliquam penam incurrant admittentes excommunicatos ad divina Officia?* Ex part. 5. tract. 9. Ref. 95.

§. 1. **R**espondeo negativè. Nam in tali casu nullam specialem penam expressam in jure invenio, nam non incurrit irregularitatem, cum hæc assistentia non sit actus Ordinis; neque incurrit excommunicationem minorem, quia hæc solem est imposita fidelibus communicantibus cum excommunicato, non verò ipsi excommunicato communicanti cum fidelibus. Et ita docet Cornejo in *3. part. de Sacram. disp. 10. §. 4. ex errore 8. dub. 2.* Sed si quæras an aliquam penam incurrant admittentes excommunicatos ad divina Officia? Cornejo ubi *supra* dub. 3. respondet solum incurrare excommunicationem minorem, ut in *cap. is qui, de sententia excommunicationis* in 6. Nam quamvis in *cap. Episcoporum, de privilegiis* in 6. incurratur etiam interdictum, cæterum ille textus non procedit generaliter de omnibus, sed solum de exemptis ab Episcopis.

## RESOL. CXXXVI.

*Quid facere debeat Sacerdos, si excommunicatus denunciatus intret in Ecclesiam, dum Missa celebratur?*

*Et an sit omittenda Missa post inceptum Canonem, si consecratio non sit facta?*

*Et notatur prohiberi, ne quis simul cum excommunicato audiat Missam eandem.*

Sed præter excommunicationem minorem, poterit excusari à mortali, si careat inductione, & cooperatione, & fiat absque contemptu, & scandalo. Ex part. 5. tract. 9. Ref. 92.

§. 1. **S**i Missa non est incepta, & superveniat excommunicatus, conandum est ut expellatur, per admonitionem, & per coactionem, si necessitas fuerit; quod si non sufficiat, distinctione opus est, vel enim deventum non est ad consecrationem, vel si est deventum; si non est deventum, omittenda est Missa. Si tamen facta est consecratio, perficienda est Missa, quia sacrificium perficiendum est ex jure divino, de quo in materia de sacrificio Missæ, vel in materia de Eucharistia, & in casu hujus dubij hæc est communis doctrina.

2. Restat dubium, an sit omittenda Missa post inceptum Canonem, etiam si consecratio non sit facta; dicitur Et Suarez *supra* refert contrarias sententias, & dicit rem esse utrumque probabilem, & liberum esse Sacerdoti quam voluerit partem eligere, quamvis tutius puter ante consecrationem omittere Missam, etsi Canon sit inceptus. Vide Turrian. *lib. 2. disp. 11. dub. 1.* Lhymam *lib. 2. tract. 5. part. 2. cap. 2. num. 6.* Filiucium *tom. 1. tract. 12. cap. 4. num. 90.* & Mercerum *de Sacram. in 3. part. q. 21. dub. 6.* ubi notat prohiberi ne quis simul cum excommunicato audiat Missam eandem, sed quia hæc communicio eorum qui simul Missam eandem audiunt, est minima inter eas, quæ respectu talis rei esse possunt, non habet peculiarem penam impositam præter excommunicationem minorem, poteritque à mortali excusari, si careat inductione & cooperatione, & fiat absque contemptu & scandalo, ex necessitate, aut pietate.

## RESOL. CXXXVII.

*An pro excommunicatis toleratis liceat publicè orare, & Sacrificia offerre?*

*Et si excommunicatus toleratus petat pro se offerri suffragia communia, an peccet?* Ex p. 5. tract. 9. Ref. 74.

§. 1. **N**egativam sententiam tenet Filiucius *tom. 1. tract. 12. cap. 2. n. 40.* Gordonus *tom. 2. lib. 7. quest. 8. cap. 1. num. 4.* Valquez *de excomm. dub. 2.* Avila *part. 2. cap. 6. disp. 9. dub. 6.* Sotus in *4. disp. 22. quest. 1. art. 4. conclus. 2.* Mercerus *de Sacram. in 3. p. q. 21. dub. 3.* Suarez *de cens. disp. 9. sect. 2. num. 17. & segg.* & alij. Probatur primò, quia hæc prohibitio ante hanc constitutionem habebat in illis locum. Ergo etiam postea, cum expresse dicat Concilium Constantiense se nolle eos in illo relevare, nec aliquod suffragium eis præbere; relevaret autem si pena hæc in illis non haberet locum post istam constitutionem. Nec dici potest eos directe non relevari, sed indirectè, & consequenter propter favorem aliis fidelibus directe exhibitum. Non enim hoc spectat ad favorem aliorum, ut qui neque hoc intendunt, neque fructum ullum inde percipiunt. Probatur secundò, quia ex primis verbis patet hanc constitutionem tantum loqui de communicatione externa, tam in divinis Officiis, quam in negotiis civilibus, non autem de hac interna communicatione per participationem suffragiorum. Nec refert quod addatur generaliter, aut aliis quibuscunque divinis, hoc enim convenienter accipitur de divinis Officiis v.g. audienda Missa, & horis Canonicis publicè recitandis.

2. Sed his non obstantibus affirmativam sententiam tenendam esse puto cum Megala in *3. part. lib. 2. cap. 2. num. 20.* Hurtado *disp. 3. de excomm. diff. cult. 4. n. 10.* Coninch *de Sacram. disp. 14. dub. 6. n. 40.* Henriquez *lib. 3. cap. 11. n. 2.* Navarro *cap. 17. n. 36.* Probatur, quia Concilium Constantiense absolute concebat, quia cum talibus communicare in omnibus Officiis divinis; atqui sub hac communicatione comprehendit etiam illam applicationem suffragiorum.